

distinguuntur mansiones secundum charitatem viæ; actus enim noster non habet quod sit meritorius ex ipsa substantia actus, sed solum ex habitu charitatis, quo informatur.»

XIII. Ita S. Thomas. Ex quo loco constat, quod sicut præter meritum quod habetur in via, oportet quod actus charitatis mensuret mansiones beatitudinis, prout charitas illa est in patria, ille actus charitatis solum mensurabit augmentum beatitudinis, tamquam dispositio, non tamquam meritum, quia ibi omne meritum cessat: ergo mensurat tamquam physica dispositio: et sic datur locus ferventiori actui eliciendo in patria, tamquam dispositioni physice ad augmentum illud requisitæ. Cui loco conjungendo id quod docet citatis locis ex prima secundæ et secunda secundæ: « Quod sicut vita æterna redditur suo tempore (licet modo mereamur illam) ita et augmentum, quod per actus remissos meretur, dabitur suo tempore, scilicet, cum aliquis sufficienter fuerit dispositus, » valde verisimilis fit ista solutio, quod tunc proxime disponitur homo ad tale augmentum, quando in alia vita prorumpit in actum ferventiorum, quia quando in hac vita prorumpit, ille actus est etiam meritorius, et accipit gratiam sibi correspondentem: unde actus remissi carebunt dispositione ferventiori, quæ requiritur ad augmentum, quousque detur aliquis actus intensior, et non meritorius novi augmenti, quod solum invenitur in patria: nec S. Thomas unquam dixit, hunc actum ferventiorum, in quem prorumpunt actus remissi, debere esse in hac vita, et non in alia.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIV. Solum possunt urgeri duo contra hanc solutionem. Primo, quia

assumimus rem incertam; unde enim constat animam separatam semper prorumpere in actum ferventiorum omnibus remissis, quos habuit in hac vita, verbi gratia, si exercuit mille actus meritorios remissos, aut alias exercuit centum: unde constat, quod anima separata unius eliciat actum intensum ut mille, et alia ut centum, nam totum hoc est divinare. Secundum est, quia potest contingere quod aliquis qui habuit plures actus remissos in hac vita, tamen quando moritur exeat ita purgatus, vel propter martyrium, vel propter alias expiationes, quod in ipso instanti separationis videat Deum: et tunc actus charitatis, quem elicit, erit ferventissimus, imo necessarius, et non liber; non tamen iste potest esse dispositio ad majus augmentum gratiæ vel gloriæ, quia iste actus procedit et regulatur per visionem beatificam: ergo illa visio procedit in toto suo augmento et statu, quem semper habitura est, quia est visio æterna: et non potest crescere aut mutari: ergo actus charitatis ab illa visione procedens non potest esse dispositio et mensura, ut sibi detur tanta intensio in visione.

XV. Respondetur ad primum, non esse incertum id, quod assumimus, sed probabilissimis principiis et conjecturis fundari: nam ex una parte constat animam separatam, præsertim in gloria, multo perfectius et intensius operari, quam dum est in corpore retardante illam in suis actibus, quia: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, Sapient. ix. Rursus Deus, qui illa merita accipit, et tamquam vivificata habet, etiam debet dare omnia, quæ ad talem meritorum præmiationem sunt necessaria: et sic cum sit valde consonum rationi, quod formæ recipientur juxta dispositionem subiecti, utique dabit Deus illam dispo-

sitionem requisitam, ne merita defraudentur præmio. Et cum dispositiones ferventiores in hac vita agant ratione meriti, suumque præmium seorsum habeant, optime discurretur, quod ferventior actus, qui requiritur, ut talia merita physice assequantur augmentum gratiæ, erit ille qui datur in alia vita: pertinetque ad ipsum complementum meritorum, ut tam fervens actus detur in alia vita, quantum de augmento gratiæ et gloriæ petunt illa merita, quia actus ille regulatur a visione gloriæ illius intensionis, vel proportionate ad illam datur.

XVI. Ad secundum respondetur, non esse inconveniens, quod in diverso genere causæ actus charitatis in patria sequatur ad visionem regulative, seu effective; præcedat vero visionem dispositive, quia juxta illam mensurantur diversæ visiones, seu mansiones beatitudinis. Sicut etiam in naturalibus ultima dispositio præcedit formam in genere causæ dispositive, et subsequitur illam in genere causæ effective, cum hoc totum sit in eadem duratione, et instanti reali. Est exemplum manifestum in anima Christi, quæ in primo instanti suæ conceptionis habuit visionem gloriæ ut omnes theologi fatentur cum S. Thoma in part. quæst. xxxiv, art. iii, et in eodem instanti recepit gratiam, et sanctificationem accidentalem per propriam dispositionem, quia non est sanctificatus Christus more parvulorum sine actu suo, seu perfecte tamquam adultus: ille ergo actus charitatis, quo dispositus est Christus ad illam gratiam et gloriam, processit a visione beatifica tamquam a regulante, vel supposuit illam visionem; a fortiori si processit a scientia infusa, quæ est effectus visionis beatificæ (nam a fide non potuit procedere, cum non fuerit in Christo) et tamen ille

actus charitatis per modum dispositionis antecessit gratiam ejus habituales, et gloriam. Eodem ergo modo potest intelligi in beatis actus charitatis secundum diversos respectus, ut procedens a visione tamquam effectus illius, et ut præcedens visionem tamquam ejus dispositio: et secundum primam considerationem habet rationem fruitionis et præmii, juxta secundam rationem dispositionis distinguuntur mansiones.

XVII. Ad fundamenta oppositæ sententiæ patet ex dictis. Ad primum enim dicitur, quod merita vivificantur simpliciter, et quantum ad præmium substantiale; sed tamen hoc præmium et augmentum gratiæ non datur de facto et entitative, nisi juxta dispositionem proportionatam ad tale augmentum, vel in hac vita, vel in alia: si vero totaliter removeretur illa dispositio, illa merita tantum valerent ad præmium accidentale: et in hoc sensu loquitur S. Thomas quando docet: « Quod si homo resurgit per dispositionem remissam, merita illa non valent nisi ad præmium accidentale. » Quod verissimum est in sensu formali, id est, quantum est ex vi dispositionis remissæ. Accedente vero dispositione ferventiori et proportionata, nunquam negat S. Thomas dari illud augmentum, et præmium substantiale, ut patet in ista quæstione lxxxix, art. ii ad secundum. Quod vero iste ferventior actus detur in hac vita, vel in alia, nunquam negavit S. Thomas.

XVIII. Ad secundum fundamentum respondetur, poenitentiam etiam se habere ut causam removemem prohibens, ut diximus ex S. Thoma; sed tamen non omnis causa removens prohibens removet adæquate et totaliter impedimentum, sed aliquando plus, aliquando minus, ut ostendimus: et ita se habet

pœnitentia respectu gratiæ antiquæ. Neque obstat, quod peccatum quod erat impedimentum totaliter tollitur: jam enim diximus, quod ad habendam illam majorem quantitatem, seu augmentum gratiæ, non solum peccatum est impedimentum, sed etiam defectus dispositionis proportionatæ et requisitæ ad recipiendum de facto et entitative ipsum augmentum gratiæ; et hic defectus dispositionis non plenarie tollitur in eo, qui remisse resurgit.

XIX. Ad tertium respondetur, quod operibus remisse factis, vel remisse vivificatis, vere promeremur vitam æternam, et augmentum gratiæ et gloriæ, ut sumitur ex Concilio Tridentino sess. vi, can. xxxii, nec aliquid illis deest, quominus eandem vitam æternam, et idem augmentum promeruisse dicamur, scilicet, quantum ad vim et rationem meriti; quantum autem ad actualem exhibitionem præmii, et augmenti, quando et quomodo detur, et a quibus conditionibus vel

dispositionibus dependeat, Concilium nihil docet, sed relinquit disputationi theologorum. Imo cum Concilium dicat: « Gratiam dari unicuique juxta ejus dispositionem, » consequenter etiam innuit dari augmentum secundum dispositionem subjecti; quæ dispositio ad augmentum, vel in hac vita, vel in alia datur; et sic nunquam fraudamus merita, etiam remissa, suo præmio; sed dicimus hoc augmentum et præmium non semper statim dari, sed suo tempore (scilicet, quando adest dispositio proportionata illi augmento sic intenso) quæ dispositio semper dabitur saltem in alia vita. Quare nec aliquid ponimus contra Concilium, sed semper juxta illud, quia nec defraudamus merita, etiam remissa, suo præmio essentiali, nec negamus quod gratia et augmentum illius detur juxta dispositionem propriam et proportionatam illi augmento; quæ dispositio saltem dabitur in alia vita.

## INDEX.

Prologus. R. P. FR. Didaci Ramirez.	1	Dubium primum : An sit exacta sacramenti definitio.	41
		Solvuntur argumenta.	43
		Dubium secundum : An nova et vetera sint univoce sacramenta.	45
		Solvuntur argumenta.	45
	1	Articulus III. — Utrum sacramentum signum sit unius rei tantum.	49
	1	Dubium unicum : An sacramenta omnia significant tria illa enumerata a S. Thoma.	51
	3	Solvuntur argumenta.	51
	3	Articulus IV. — Utrum sacramentum sit semper res aliqua sensibilis.	58
	6	Dubium unicum : An sit de essentia sacramenti esse rem sensibilem.	59
	7	Solvuntur argumenta.	60
	11	Articulus V. — Utrum requirantur determinatæ res ad sacramentum.	63
	14	Dubium unicum : An res sacramentorum sint determinatæ, et a Deo.	64
	17	Solvuntur argumenta.	65
	20	Articulus VI. — Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba.	70
	20	Dubium primum : An sacramenta consent rebus et verbis, tamquam materia et forma.	71
	23	Solvuntur argumenta.	73
	25	Dubium secundum : An horum unio sit physica et realis, ut partium componentium sacramentum.	77
	30	Solvuntur argumenta.	79
	32	Articulus VII. — Utrum in sacramentis requirantur determinata verba.	85
	36	Dubium unicum : An requirantur determinata verba ad conficiendum sacramentum.	86
	38	Solvuntur argumenta.	89
	39		